



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Sext C[a]ecilius quid responderit ad ea, quæ Taurinus contra legem Talionis objecerat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

inebriet se etiam iste, atq; ad meum modum, in eadem fenestra obdormiat, meq; inibi transeuntem desuper cadens obruat. Quam conditionem & talionem, cum acceptare nollet actor, potiusq; occisum inultum censeret relinquendum, quam tantò vitam suam proferendam, totum iudicium desijt in cachinnos. Hæc talia cum ijs, quæ Favorus disputavit, obijci possunt contra legem talionis.

Ad quæ Sex. Cæcilius in disciplina juris atque legibus populi Romani noscendis interpretandisque, scientia, vsu, auctoritateq; illustris, amplexus utraq; manu Favorus, præter cætera, sic respondit: Maiores nostri quibusdam iniurijs talionem quoque apposuerunt, quam quidem tu talionem, vir optime, iniquius paulò insectatus es: ac ne consistere quidem dixisti, lepida quâdam solertia verborum: quoniam talioni par non sit talio: neq; rumpi membrum facile possit ad alterius ruptura (ut ais tu) æquilibrium. Verum est, mi Favore, talionem ratissimam fieri difficillimè. Sed decemviri minuire atq; extinguere volentes huiuscemodi violentiam pulsandi atque ledendi, eo quoq; metu coercendos esse homines putaverunt; neq; eius, qui membrum alteri rupisset, & pacisci tamen de talione redimenda nollet, tantam esse habendam rationem arbitrati sunt: ut an prudens imprudensq; rupisset, spectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amissum equipararent, vel in libili perpendere: sed potius eundem animum eundemq; impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque casum exigi voluerunt, quoniam modus voluntatis prestari possit: casus ictus non possit. Quod si ita est, ut dico, ut & ipse æquitatis habitus demonstrat: taliones illa tua reciproca argutiores profecto, quam veriores fuerunt. Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus pœna putas: qua, obsecro te, ista acerbitas, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris: præsertim cum habeas facultatem paciscendi: & non necesse sit pati talionem, nisi eam tu elegeris? quod edictum antem prætorium de æstimandis iniurijs probabilius esse potest? nolo hoc ignores, hanc quoque ipsam talionem ad æstimationem iudicis redigi necessario solitam. Nam si reus, qui de pacisci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat: æstimatâ lite Iudex hominem pecunia damnabat. Atque ita, si reo & pacisio gravis, & acerbata talio visa fuerat, seueritas legis ad pecunia multam redibat. Ita Sex. Cæcilius.

Legem talionis rectè intellectam iustitiæ & æquitati conformem

III.

IV.

mem